



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ioannis|| Climaci Ab-||batis Montis|| Synai,|| Scala Paradisi

Johannes <Climacus>

Coloniae, 1583

VD16 J 520

Capvt. XLV.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55433)

Tunc ille dæmoni: Si vis vt recedam, fac, vt id, in quo ego sedeo, ambulet. Sedebat autem in sella viminea. Quo audito, dæmon confestim sellam illam per totam cellam ambulare fecit. Senex autem aspiciens versutiam dæmonis, ait illi: Nempe quoniam ita velox, & astutus es, nõ hinc recedo. Factaque ab eo oratione, dæmon cecidit.

Exemplo sancti huius patris instruimur, non debet monachum à religione deficere.

C A P V T. LXIII.

TR E S senes venerunt ad Abbatem Stephanum presbyterum, & cum perseverarent loquentes de utilitate animæ, tacebat senior. Dicunt ei senes illi: Nihil nobis respondes, prater? Utilitatis gratia venimus ad te. Tunc ait illis: Ignoscite mihi. Usque modò non animaduerti quid locuti sitis. Veruntamen quod habeo, hoc dico vobis. Ego die noctuque nihil aliud aspicio nisi Dominum nostrum Iesum Christum in ligno pendentem. Quod cum audissent, multum edificati recesserunt.

C A P V T. XLV.

A B B A S Ioannes cognomento Molben narravit nobis de venerando sene isto beato Stephano presbytero, quòd cum aliquando iecur illius grauitè infirmaretur, ex qua infirmitate sancta illa anima migravit a corpore, coegerunt illum medici carnem manducare. Erat autem illi frater secularis quidam, sed valde religiosè, & secundum Deum viuens. Factum est autem, cum carnes comederet presbyter, superuenit frater eius secularis, vidensq; illum velocitè carnibus scandalizatus est, & valde contumacis.

status, quòd ex tanta abstinencia, atque continencia in extremo vitæ suæ tempore, ad comedendū carnes deuolutus esset. Mox ergo in extasi factus, vidit quendam dicentem sibi: Quare sic de presbytero scandalizatus es? Quia illum vesci carnibus vidisti? Nescis, quia necessitate compulsus, & propter obedientiam id fecit? Nempè propterea scandalizari non debuisti: Nam si merita, & gloriam fratris tui videre cupis, retro conuertere, & vide. Conuersusque vidit fratrem suum crucifixum cum Domino. Atque ad eum is, qui illi apparuerat: Ecce in qua gloria frater tuus est.

1 Antiqui monachi etiam à carnibus abstinebant.

Vita Abbatis Theodosij solitarij.

C A P V T. L X V I.

Abbas Antonius Dux monasterij Aeliotarum, qui etiam illud ædificauit, narrauit nobis de Abbate Theodosio, quòd senex ipse hæc de seipso narrabat: Priusquam ad vitam solitariam transissem, factus in extasi aspexi vitum quendam, cuius species claritatem Solis vinceret. Hic tenens manum meam; Veni ait, quia pugnare, & luctari te conuenit; & induxit me in theatrum infinitæ magnitudinis. Aspexi autem theatrum plenum viris ex vna parte candido amictu, ex alia verò nigro vestitis. Cùm ergo iniecissem me in theatrum, aspicio virum miræ magnitudinis Aethiopem, cuius caput turpissimum penetrabat nubes. Tunc ait ad me inuenis ille, qui mihi apparuerat. Cùm hoc luctari te oportet. Ergo, qui aspectu viri illius proceri territus eram, tremere, ac pauere cœpi, orabamque iuuenem illum splendidum, qui me induxerat in theatrum, dicens: Quis hominum mortali conditione,